



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput IV. Principia moralitatis intinseca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

ter pergat, quod in cujuslibet hominis est potestate, cum Deus & natura non desint in necessariis. Hinc præclare Horatius: *Navibus atque quadrigis petimus bene vivere; quod petis, hic est, est Ulubris, animus si te non deficit equus.* Ulubras memorat ignobilem Italiæ vicum, ut doceat, nullum locum, nullamve conditionem excludere à vita bene ac feliciter ducenda. Per hoc autem ad felicitatem pergit, & jam quantum patitur mortalis conditio felix est homo, si Deo bonorum omnium fonti adhæreat, suoque principio jungatur, quod fit, si intellectus eum sibi proponat præsentem, & de eo rectè sentiat; voluntas verò illum amore complectatur, velitque, ac imperet aliis potentiis eum humanarum actionum cursum, quem intelligit eidem esse gratissimum: Omnis alia vita misera est & inquieta.

CAPUT IV.

Principia moralitatis intrinseca.

§. I.

De Voluntario.

Cum ex dictis actus humani sint illi, qui ex deliberata voluntate procedunt, clarum est, duo esse moralitatis principia, nempe voluntarium & liberum. Voluntarium ex Arist. 3. Eth. 1. est, *Cujus principium est in agente, cognoscente singula, in quibus actio consistit.* Hinc involuntarium dupliciter. 1. Involuntarium ex violentia, quod dicitur coactum, ad quod per vim extrinsecus immisfam cogimur. 2. Ex ignorantia, quod nempe ex ignorantia facimus. Unde infantes & bruta sponte quidem agunt, non tamen propriè & perfectè voluntariè, cum iis desit perfectæ eorum cognitio, quæ ad actionem pertinent.

Aliud porro voluntarium est immediatè & formaliter, ut sunt ipsi actus voluntatis: aliud denominativè, uti sunt actus à voluntate imperati, qualis est scriptio, sessio. Aliud voluntarium, quod directè volitum: aliud indirectè, quod non impeditum, cum quis potuisset, ac debuisset impedire. Aliud voluntarium in se, aliud in causa, ut cum quis voluntariè inebriatur prævidens, tales & tales effectus exinde secuturos &c.

Colliges, vim, quæ infertur, esse physicam vel moralem: physica non potest cadere in actus à voluntate immediatè elicitos, nec enim voluntas cogi potest, aut velle invita; sed tantum habet locum in actibus extrinsecis & imperatis, qui omnino cogi possunt. Sic terrores & supplicia vim duntaxat moralem, non absolutam Martyribus inferebant; poterant equidem cogi physicè ad actus externos, non tamen ad internum voluntatis actum.

Colliges 2. Concupiscentiam non causare involuntarium, quia, quod fit ex ea, est ab intrinseco cum cognitione actionis & finis.

Colliges 3. Neque metum causare involuntarium, quia metus vel est juxta inclinationem appetitus innati, ut cum quis operatur ex metu transgrediendi legem, quam approbat, ut naturæ rationali conformem; & quæ ex hoc metu procedunt, sunt simpliciter voluntaria, quia juxta inclinationem humanæ naturæ. Vel metus est contra inclinationem appetitus innati, ut cum mercator

cator ex metu naufragii projicit merces in mare; & hic metus minuit quidem, non tamen tollit voluntarium; quia hæc projectio, etsi quodammodo invita, provenit nihilominus à principio intrinseco scientie singula, in quibus est actio. An verò metus excuset à peccato, videndum est, utrum sit justè vel injustè incussus, gravis vel levis, & quomodo leges in tali metu obligent. Sic ex nullo metu licet Christum erubescere, eique renunciare: leges tamen humanæ non tam strictè obligant.

Coll. 4. Ignorantiam, si antecedens sit & invincibilis, omnino causare involuntarium, ut cum Pater occidit filium, putans esse feram: non tamen illud simpliciter causat, si consequens sit & vincibilis, ut cum vel directè quæritur ignorantia, uti fecit ille, de quo Script. *Noluit intelligere, ut bene ageretur*: vel saltem indirectè, quatenus ex negligentia culpabili omittimus ea indagare, quæ oporteret nos scire; tunc enim, quæ ex tali ignorantia fiunt, jam sunt aliquatenus volita in sua causa: ergo non simpliciter involuntaria. Unde de utraque hac ignorantia S. Aug. lib. 3. de Lib. arbit. a. 9. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.*

Jam verò si tale est voluntarium, ut positis omnibus prærequisitis ad hoc ut sit, possit tamen esse, vel non esse, dicitur voluntarium liberum: necessarium econtra, cum illis positis non potest non esse, uti est amor beatificus, qui sequitur necessariò cognitionem Dei intuitivam: etsi enim non liber sit, voluntarius tamen est, cum sit ab intrinseco cum perfecta cognitione finis.

§. II.

De Voluntario libero.

PRodièrè omni propè ætate Heterodoxi, qui necessitatem invehentes negant libertatem in homine. Alii quidem ex veteribus necessitatem hanc inferebant ex causis extrinsecis, ex fato, ex præscientia Dei, vel ex fatali stellarum influxu, ut Priscillianistæ: Alii ex causis intrinsecis essentialibus, ut Manichæi ex anima duplici, altera per se bona, mala per se altera, de quibus jam alibi. Ex Recentioribus aliqui sine verborum dolo liberum hominis arbitrium Adami peccato prorsus extinctum dixere, ut Calvinus, similisque Sectarii: Alii verò idem sentiunt, sed aliter loquuntur, ut in suis libris Bajus, Jansenius &c. docentes, libertatem, qualis inest naturæ lapsæ superstes, immunitatem esse à sola coactione, non à simplici necessitate: nam absente Gratia, ineluctabili necessitate homo abripitur ad malum, illa præsentè trahitur ad bonum; non quòd necessitas illa ad malum sit insita naturæ, ut volebant Manichæi, sed quòd sit effectus & pœna peccati: adeoque libertatem hominis nunc in eo reponunt, quòd agat spontè & voluntariè citra omnem violentiam principii extrinseci, quamvis agat necessariò: hoc modo liber quoque esset amor beatificus.

At veritas Catholica, & Fidei dogma est, dari in homine libertatem non solum à coactione, sed etiam à necessitate, ita ut positis ad agendum requisitis, possit agere vel non agere. Id evincunt textus Script. Contempl. sup. allati. Nam etiam post Adami lapsum Deut. 30. proponitur homini vita & mors, bonum & malum, & subjungitur: *Elige*: Ubi autem electio, ibi nulla nece.

necessitas; *In his enim, ut ait S. Thom. Quæ determinata sunt ad unum, electio locum non habet.* Item Eccli 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Quod autem in hominis potestate est, illud non fit ex necessitate, sed ex libera voluntate: ut enim ait S. Aug. lib. de Sp. & Lit. c. 31. *Illud est in hominis potestate, quod, si vult facit, si non vult, non facit.* Et huic veritati suffragantur innumera alia Script. testimonia. Unde Conc. Trid. sess. 6. pronunciavit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium post Ade peccatum amissum & extinctum esse --- anathema sit.* Deinde damnata etiam est hæc Baii propositio ordine 39. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessariò fiat, libere fit.* Et Janfenii 3. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Accedit experientia, quâ sentimus, nos in objecta non impetu quodam rapi, veluti bruta, sed ex libera determinatione in ea ferri. Quod quidem omnibus adeò compertum est, ut S. Aug. in lib. contra Manich. cap. 11. dicat; *Nonne hoc canunt, & in montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Id confirmat ratio, quia si non daretur libertas, tunc quidquid homo ageret, non esset vituperio & supplicio, nec præmio & laude dignus: Peccati enim teneri reum quæpiam, quia non fecit, quod facere non potuit, inquit S. August. cap. 12. *summa iniquitatis est, & insania.* Hinc monita, adhortationes, leges, prohibitiones, præcepta essent omnino supervacanea; hinc ad omnem morum licentiam via amplissima, ut ait S. August. lib. de vera Relig. cap. 14. *Si non voluntate malè facimus; nemo oburgandus omnino, aut monendus; quibus sublaris Christiana lex, & disciplina omnis religionis auferatur necesse est.* Quæ quidem omnia ita absurda sunt, ut non tantum hæc abhorreant Christiani, sed etiam Ethnici. Et sanè mirum est, quosdam reperiri, qui libertatem agnoscant domi, quam negant in cathedris. Quis enim eorum est, qui domi non excandescat, si uxor sit infidelis, inobsequentes liberi, fures servi, proditores domestici? & cur hoc, nisi quia in illis liberum supponit arbitrium?

Et hæc libertas oritur, tum ex perfectione animæ rationalis, quæ utpote spiritualis, non potest materiæ angustiis coerceri; sed in se ipsam redit & reflectitur, suâ judicia examinat, seipsam colligit, seque determinat; tum ex voluntate Dei, qui hominem voluit meriti & demeriti capacem, quod sine libertate fieri non potest. Unde loco cit. S. Aug. *Nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium; tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si serviamus liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.*

